Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

figuratur: in qua lacteis filiorum israel memorantur: et candor diuinę miserationis declaratur: Hanc g̃ iosue dat cum suburbanis suis: cum xpe suis electis intelligentiam exodi tribuit cum allegoris et moralitatibus suis. Iether modicum residuum interpretatur: p quam liber leuitici figuratur: in qua modica salus utere obseruatoribus datur: Istmoth conuentatio dicitur: p quam liber numeri exprimitur: in qua iurgatio filiorum israel describitur: Elon exercitus fortitudo interpretatur: p quam deuteronomium figuratur: p quam exercitus fidelium spiritaliter armatur: Dabir loquens uel loquela dicitur: p quam ipsa huius libri iosue scripture exprimitur: que multa mysteria eloquentia predita esse conspicitur: Aim. meta luctus interpretatur: p quam liber iudicum figuratur: in quo israelitarum pressura commemoratur: Iectan. extensio dicitur: p quam liber Ruth exprimitur: in quo uelut tabernaculum uenturo in carne filio dei extenditur: Bethsames domus solis interpretatur: p quam liber regum figuratur: qui instar solis magnis mysteriorum fulgoribus irradiatur. Dat g̃ Iosue filiis aaron has ciuitates cum suburbanis suis: quia xpe suis fidelibus mundi contemptoribus dat p spiritum sanctum intelligentiam horum librorum cum allegoris et moralitatibus suis. Dat nouem ciuitates: inexpugnabiles ueritatis munitones: fidem sancte trinitatis et perfectionem bonorum operum fulcientes: Nouenarius enim numerus ex senario et ternario conficit: et p ternarium fidei rectitudo. p senarium uero perfectio exprimitur: Dat eas de tribubus ut dictum est duabus: de superni celestium ciuium ordinibus geminę dilectionis signum et documentum in se habentibus: Gabaon collis meroris interpretatur: p quem liber psalmorum designatur: qui salutarem gemitum compunctionis sua meditatione operatur: Gabee collis dicitur: p quem liber puerbiorum exprimitur: qui instar collis multa mysteriorum eminentia extollitur: Anathoth responsio interpretatur: p quam liber ecclesiastes figuratur: qui more conionatoris diuersis ppositionum sophismatibus argumentatur: Almon sensibilis siue sensus dicitur: p quam canticum canticorum exprimitur: in quo uere dilectionis sensus describitur: Has ciuitates quatuor cum suburbanis suis dat iosue leuitis: quia xpe has fidei et ueritatis munitiones incarnationis passionis resurrectionis et ascensionis suę mysteria continentes dat ad intelligendum suis electis. Dat ciuitates cum suburbanis suis scripture apices cum allegoris et moralitatibus subiectis. Dat eas de tribu filiorum beniamin. qui filius dexterę dicitur: quia de societate celestium ciuium qui in dextera eterne beatitudinis collocati letantur: horum librorum intelligentiam suis fidelibus xpe largitur: Omnes simul ciuitates filiorum aaron sacerdotis cum suburbanis suis tredecim esse describunt: quia omnes isti ueteris testamenti libri. qui xpi fidelibus tanquam ueri aaron filius p gratiam spiritus sancti apiuntur: fidem sancte trinitatis locuntur: que p ternarium exprimitur: et reformationem hominis que p denarium intelligitur: quia in denario imago regis exprimitur: De qua imagine deus loquitur: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nram. Ciuitates eiusdem suburbanis suis computantur: quia utere hoc. librorum cum allegoris et moralitatibus suis p spiritum sem explicantur. SEQVITVR.